

VIGESIMA-QUARTA DIFFICULTAS.

Quæritur utrum instruendi sint Barbari de præcepto
Communions Eucharisticæ, & ad eam obligandi?

RESOLUTIO.

Instruendos Barbaros, & obligandos.

VIGESIMA-QUINTA DIFFICULTAS.

Quæritur utrum iis concedenda sit dispensatio gene-
ralis ab observantiâ Quadragesimali; nec non ab abs-
tinentiâ Feriæ Sextæ, & Sabbati?

RESOLUTIO.

Non esse concedendam.

VIGESIMA-SEXTA DIFFICULTAS.

Quæritur utrum celebrari possit Missæ Sacrificium in
Partibus longinquis, ita ut nec guttula vini in utrâque
ablutione recipiatur? & utrum de hoc Episcopus dis-
pensare possit, vel ad Apostolicam Sedem sit recur-
rendum?

RESOLUTIO.

Citra maximam vini penuriam servandas esse pro
viribus Rubricas Missalis Romani; præsertim in puri-
ficatione, seu primâ ablutione.

*Datum Romæ anno Domini millesimo septingentesimo
tertio, die primâ Augusti.*

LAURENTIUS Archiepiscopus.